

sedis archiepiscopo et Bald(ewino) Treverensis ecclesie archiepiscopo predicto necnon illustribus principibus dominis Iohanne Bohemie et Polonie rege, Woldemaro marchione Brandenburgensi ac Iohanne seniori duce Saxonie, electoribus regis Romanorum in imperatorem postmodum promovendi, necnon convenientibus eisdem tamquam in die, alias ut dicitur de eorundem electorum et venerabilis in Christo patris domini Heinrici Coloniensis archiepiscopi et illustris principis domini Rud(olfi) comitis palatini Reni ducis Bawarie suorum coelectorum seu nunciorum et procuratorum eorundem unanimi consensu per predictum dominum P(etrum) archiepiscopum Magunt(inum), qui hoc ad suum pertinere asserit officium, prefixa pro eleccione futuri regis celebranda apud Frankenfurd in loco debito et consueto, iidem principes, videlicet P(etrus) Magunt(inus) et B(aldewinus) Treverensis archiepiscopi, Iohannes Bohemie et Polonie rex, Woldemarus marchio Brandemburgensis et Iohannes senior dux Saxonie, penes quos solos, ut ipsi asserunt, ius providendi imperio de persona ydonea residet hac vice propter absenciam archiepiscopi Coloniensis et comitis palatini Reni predictorum coelectorum suorum, volentes eisdem suis coelectoribus absentibus pro bono pacis et sub spe concordie in hoc deferre ac gratiam facere specialem, prehabita deliberatione diligenti diem predictam ad eligendum prefixam^a ut premittitur usque ad diem immediate sequentem unanimi consensu et expressa voce continuandam duxerunt ac eam prorogarunt cum continuacione dierum subsequencium ad providendum eisdem imperio et regno Romanorum vacantibus de persona ydonea in regem Romanorum eligenda in imperatorem postmodum promovenda et ad omnia alia facienda, que in ipso eleccionis negocio contingere dinoscuntur. Constituentes, deputantes et ordinantes statim suos certos et speciales nuncios ad notificandum et insinuandum prefatis suis coelectoribus absentibus huiusmodi termini seu diei continuationem et prorogationem per ipsos factam necnon ad citandum ex parte sua ipsos coelectores suos absentes ad eundem terminum sive diem cum intinacione, quod si non venerint et comparuerint in eodem per se vel procuratores et nuncios suos ad hoc legitime constitutos, extunc procedent et procedere intendunt in ipso eleccionis negocio, eorum absencia non obstante, nec eos ulterius vocabunt, etiam si

a) 'pfixa' Or.